



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

§. I. An peccent Cooperantes, & quot sint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

talís est res, quæ elocari consuevit. Quod addo: nam aliás potius pretium illud ad fructum industriæ, quam ipsius rei referri videtur: ut si fur elocet nummos furtivos ad ostendendum. Idem de pretio elocationis torquis aurei docet verisimiliter Navarrus c. 17. n. 25. Sed cum torques aurei, uti vasa argentea, satis usitate elocentur pretio, videtur pretium illud inter fructus rei enumerandum, adeoque domino reddendum. Sententia tamen Navarræ locum habere poterit, quando dominus est vir dives, cui ejusmodi pretia putetur reputare tamquam vilia. Similiter restituendi sunt fructus non percepti, si eos dominus suâ curâ fuisset percepturus, ut patet ex c. Gravis, de restitut. spoliat. Ratio est: quia fur seu iniquus possessor suâ injustâ detentione est domino causa lucri cessantis.

Vii & non percepti à fure, sed percipiendi à domino.

36. Petes I. Quid si fur suâ industriâ rem fecerit meliorem, quam dominus fecisset, suâ tamen negligentia percepit pauciores fructus, quam dominus re tum sibi restituta fuisset percepturus? Resp. in rigore verius est teneri ad ampliores illos fructus domino restituendos: quia fur non restituendo rem melioratam, quando debuit, est causa damni, quod scilicet dominus non percepit fructus ex re sua, quos erat percepturus.

37. Petes II. Ad quam restitutionem teneatur qui intulit damnum in re crescente, v.g. vastavit segetem nunc æstimatam centum, valituram in mense ducentis florenis, occidit pullum æquinum nunc valentem viginti, post biennium valiturum centum? Resp. non teneri amplius restituere, quam res judicio prudentum spectatis circumstantiis tunc valebat. Nam restitutio damni tantum est faciendâ secundum æqualitatem prudentum judicio taxandam: seges autem vastata v.g. omnibus consideratis tunc tantum valebat centum florenis, ergo solum centum restituendi sunt.

Nec obstat, quod dominus intenderet rem servare quousque perfecta esset, neque illam eo pretio vendere voluisset: inde enim non sequitur majus esse damnum, sed majorem injuriam, pro qua secluso damno, non debetur restitutio.

QUESTIO III.

De Cooperantibus ad Furtum vel Damnum, ac Obligatione consequenter Restituendi?

I.

An peccent Cooperantes, & quot sint?

38. COOPERANTES ad grave furtum vel injustam damnificationem graviter

peccare, ratio naturalis satis dicitur. Quoniam (ut utar verbis Apostoli quæ ad Rom. 1. subdit post varia vitia enarrata) qui talia agunt digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, adeoque cooperantur operantibus. Unde alibi Scriptura graviter redarguit, currentem cum fure Psal. 49. Socios furum Isaiâ 1. Et Proverb. 29. dicitur: Qui cum fure participat, odit animam suam.

justam damnificationem graviter peccant.

Novem autem sunt modi cooperandi ad actionem aliquam, signanter injustam; quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores autem negativi seu privativi, sequentibus verbis comprehensi.

Novem modi cooperandi re-consentur.

- Inssio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, Non Obstant, Non Manifestans.

§. II.

De Mandante.

MANDANS, sive expressè opus v.g. famulo injungendo, sive tacitè & implicitè, dicendo v.g. gratum mihi obsequium fieret, utinam quis id pro me faceret &c. est indubiè causa damni injusta, si inde alter moveatur, & exequatur opus injustum. Si autem damnum reipsâ non sequatur, peccat nihilominus mandans, sed non tenetur ad restitutionem.

39. Mandans qui peccat & tenetur ad restitutionem.

Uti etiam si mandatum in opus subsecutum non influxerit, puta quia alter non fuit motus à mandato, sed sponte suâ perfectè determinatus, mandato neglecto, opus fecit, dicendo v.g. Non curo mandatum tuum, non indigeo &c. sic enim mandans non est causa efficax seu efficiens damni præsentis, etsi affectivè, seu quantum est ex parte affectûs conetur ipsum causare. Idemque est secundum Doctores communiter, si mandatum tempestivè & seriò revocetur, atque adeò revocatio tamquam seria mandatario innotescat: cò quod mandatum non moveat aut influat, nisi quatenus ligat & veluti stringit mandatarium; quod totum tollitur per revocationem. Si tamen revocatio mandatario non innotescat, aut sit oblivioni tradita, aut aliter credat non esse seriam, sed curialem, & ad satisfaciendum nonnullis simulatam, manet causa damni prius data, cum obligatione eadem.

Quid si in damnum non influxerit mandatum.

Quid si revocatum.

Petes, an teneatur in qualitate mandantis, qui ratum habet opus, v.g. homicidium, incendium &c. suo nomine factum, arg. Reg. 10. jur. in 6. Ratihabitionem retrahit, & mandato non est dubium comparari? Et consonat Reg. 60. ff. de Reg. jur. Resp. cum communi sententia Neg. quia verè non influxit talis in damnum; quod non potest à subsequenti ratificationis influxu pendere, Regula autem Juris respicit,

40. Ratum habens malefictum suo nomine paratum non tenetur in qualitate mandantis.